DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE RHACHITIDE

QUAM

DIVINA FAVENTE GRATIA

CONSENSU ET AUTORITATE AMPLISSIMI IN ALMA JULIA MEDICORUM ORDINIS

PRÆSIDE

DN. A. C. GAKENHOLZ

M. D. SERMÆ MAJ. MAGN. BRIT. MED. AUL. ANAT. PHYSIOL. ET BOT. P. P. O. ET COLLEGII MEDICI H. T. DECANO

DOMINO FAUTORE PRÆCEPTORE ET PROMOTORE SUO VENERANDO

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

CASP. JOH. WIESELER

SCHöPPENST. BRUNSVICENSIS

IN MAGNO JULEO

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

D. XVII. SEPTEMBR. ANNI MDCCXVI.

HELMSTADII

TYPIS HERMANNI DANIELIS HAMMII ACAD. TYPOGR.

VIRIS

PRÆNOBILISSIMIS AMPLISSIMIS ATQUE CONSULTISSIMIS DOMINIS

DOMINIS

CONSULIBUS, CAMERARIIS, RELIQUISQUE SENATORII ORDINIS MEMBRIS GARDELEGIENSIBUS GRAVISSIMIS

DN. PATRONIS ATQUE FAUTORIBUS SUIS

HONORIFICE SUSPICIENDIS

DISSERTATIUNCULAM HANC INAUGURALEM

OFFERT DICAT ET DEDICAT

AUTOR.



Q. D. B. V.

SPECIMEN INAVGVRALE
DE
RHACHITIDE.

§. I.

SI ſemper novi quid parturit ſiticuloſa Africa, experimur etiam per hiſtoriam Medicam, novos ſemper oriri morbos, genus humanum affligentes. Morbi oriuntur Endemii, oriuntur Epidemii, per multa ſecula aut per breve tempus, in hac aut illa regione furentes. Poſſemus contexere longam hiſtoriam talium, de quibus jam Plinius conqueſtus eſt, aſt illud nimis

 lon-

longum foret. Cui vero ignotum? fœdum morbum longe lateque serpentem ante aliquot demum secula innotuisse, quamvis non existimemus morbum hunc adeo novum esse, uti vulgo creditur: quippe nisi fallimur, non obscure illum jam indicavit sec. decimo tertio Salicetus Chirurgia sua cap. 48. de Pustulis albis & scissuris & corruptionibus, quæ fiant in virga & circa præputium propter coitum cum meretrice, vel alia de causa. Et Gordonius Medicus Montis Pessulanus initio decimi quarti seculi agens de Passionibus virgæ, similia tradit. SUDOR ANGLICUS, quantum scimus, veteribus ignotus fuit. RHACHITIS pariter superiori primum seculo Anglorum vexavit pueros, nec tamen, ut multi credunt solis se Angliæ limitibus continuit, sed cis mare etiam sæpius, imo in Belgio bis ab Experientissimo Domino Præside hic morbus observatus fuit. De hocce morbo igitur placuit mihi Amicorum suasu Speciminis Inauguralis loco pauca quædam proferre.

§. II.

§. II.

Cum itaque invaderet primum hic morbus Anglorum infantes; Medici, qui ob rationes postea indicandas, illum vitio spinalis medullæ contingere arbitrantur, Rhachitidem dicendum putavere, denominationis ratione deducta a notissimis vocibus ῥάχις, ῥαχία, ῥαχίτης.

§. III.

Describenda vero Autorum suffragio Rhachitis, quod sit inæqualis nutritio, cum partium laxitate, mollitie, debilitate, languore, ignavia, torpore, capite justo majore, macie vero in secundo ac tertio ventre artubusque, protuberantiis circa articulos, incurvatione ossium, angustia pectoris, tumida abdominis impletione, hypochondriorum tensione, tussi aliisque symptomatibus sæpe concurrentibus.

§. IV.

Quilibet autem facile intelliget descriptionem hanc esse quam repetiimus, non vero

definitionem; nempe adducitur modo & enarratur lerna malorum, & conſpirantia in unum Symptomata, ut adeo hic morbus vere complicatus ſit dicendus, qualis Scorbutus, malum Hypochondriacum, aliæque ægritudines.

§. V.

Supervacaneum foret methodo Autoribus familiari, ſeorſim hic tradere ſigna, quoniam illa in deſcriptione ſatis evidenter enumerantur.

§. VI.

Properamus ad argumentum majoris momenti & altioris indaginis ſcilicet cauſam. Hic vero non paucæ oriuntur difficultates ad hancce eruendam, adeo ut fere poſt multas meditationes vel hoc exemplo, qvamvis inviti fateri cogamur, conjecturalem ſæpe eſſe modo Artem Medicam.

§. VII.

Nempe occurrunt hic tam diverſa Symptomata, ut ſi Medicus primum advocatur

 ad

ad talem ægrum excuſandus ſit, ſi quo ſe vertat, neſciat.

§. VIII.

Suſpicari equidem poterat prudenter ille Medicus inſolito morbo decumbentem puerum (1) obſtructione meſenterii laborare, quoniam pleraque hinc deduci poterant Symptomata, abdominis tumor, macies, caput tumore inflatum, ignavia, torpor, anguſtia pectoris hypochondriorum tenſio.

§. IX.

Poterat ſecundo Medicus hæc eadem Symptomata quodammodo deducere a vermibus, a quibus ſimilia & graviora ſæpius oriri mala nimis quam notum eſt.

§. X.

Sed præcipue hic attendendum erit ad protuberantias circa articulos & incurvationem oſſium, quæ hunc morbum ab aliis diſtinguunt.

§. XI.

Oſſa cum in pueris non nutriri modo debeant, ſed & augeri, ſi gelatinoſa illa lympha

pha, quæ materiam nutritionis conſtituit, hæret ante limen, nec progreditur ad oſſium cavernulas, hiſce particulis diducendas, non poteſt non mora illa ibi coagulari, & cartilagineam abire in ſubſtantiam. Sed ratio hujus Phœnomeni vix quæri poterit vel in meſenterio obſtructo, vel in vermibus, alimenta meliora conſumentibus.

§. XII.

Quod autem ad incurvationem oſſium attinet, illa quidem non niſi violenta ratione detorqueri poſſe fatendum eſt. Poterant pedum, crurumque oſſa, in debilioribus infantibus, ubi mollior adhuc illorum ſubſtantia, facile flecti, ſi præmature ambulando exerceantur, ſucci pleno, & ponderoſiore hinc corpore: Poterant alio etiam errore a ſitu recto declinare: Verum tale quid hic factum vel fieri non ſupponimus.

§. XIII.

Aliam itaque rationem adducere non posſumus, quam muſculorum contractionem.

Sunt

Sunt etenim musculi nil nisi funes, quibus ossa huc illuc trahenda & retrahenda. Si autem contingat alterutrum musculum nimium abbreviari, fieri non potest, quin flexilia ossa incurva fiant atque tortuosa; potest & inæqualis nutritio in culpa esse.

§. XIV.

Cum vero & spina dorsi, hic sua fata experiatur, & aliunde notum sit, viscera inferiora ex nervorum spinalis medullæ succo irrigari. Dicta autem viscera inferiora inprimis affici observatur, non adeo inepte Auctores accusant spinalem medullam, namque si præsecto nervo marcescere solet hæc illave pars, aut etiam emori; non mirum, si fonte horum nervorum obstructo, membra, quæ hinc alimenti necessariam partem capere debebant, tabe consumantur.

§. XV.

Prognosis hujus affectus admodum est difficilis. Spes non vana est, si quid judicamus, restitutum quidem iri, prudentis Medici ope puerum, quod ad partes molles fluidasque; Ossa vero jam incurvata reducere,

non unam requirit Encheiresin, nec unam machinam, a perito Chirurgo adhibendam, atque omni industria adhibita emendare forsan ossa, vix vero restituere in integrum poterimus.

§. XVI.

Ut autem secundum Præcepta Artis, methodumque medendi tentemus curare misellos languentes, perpurgandas ante omnia putamus esse a sordibus primas ut loquuntur vias. Idque tuto fieri non arbitramur per Vomitoria, nempe cum infantes primis duobus annis ut plurimum corripi soleant hocce morbo, in tenella illa ætate tam violenta remedia non facile solent adhiberi. Quod si autem Medicus suspicetur ventriculum saburra repletum, illumque necessario esse evacuandum, tentet illud per oleosa, uti oleum amygdalarum dulcium, atque aquam tepidam, irritando fauces pluma; non vero facile emeticis antimoniatis nisi parcissima dosi: Oxymel autem squilliticum non dissuademus.

§. XVII.

§. XVII.

Alvum omni cura liberam & apertam ſervandam ſuademus: Clyſmata, uti ubique ſecura ratione eliciunt fæces ex craſſioribus inteſtinis, & ſi artificioſe compoſita ſint, volatiliores particulæ illis permixtæ altius penetrant, ita hic maxime commenda. Pro circumſtantiarum autem varietate Medicus in conſilium vocatus nunc acriora nunc leniora præſcribet.

§. XVIII.

Si catharcticis opus eſt rurſus non violenta ſed mitiora modo commendamus.

§. XIX.

Sanguinis miſſionem vel Venæ ſectionem non admittimus niſi in Plethoricis & ſanguineis infantibus: In talibus ſectionem venæ ſecure inſtitui per experientiam novimus; & Autores narrant, quod ſcarificatio,

ubi ſanguis liberaliter effluxerat, etiam in hoc morbo cum euphoria inſtituta fuerit.

§. XX.


Quoniam vero ut diximus ad ſpinam dorſi potiſſimum reſpiciendum, medullamque & nervos: hic non convenient modo nervina interna (non tamen nimis calida) ſed & externa linimenta, unguenta, ſpiritus, olea, cataplasmata, fotus, frictiones, qualia ita ſunt nota, ut actum ageremus, ſi hæc transſcribere vellemus, inprimis cum pro circumſtantiarum infinita varietate talia mutari debeant.

§. XXI.

Idem eſto judicium de præſidiis Chirurgicis. Quod autem ad ſymptomata attinet, & quomodo iis occurrendum, vel mediocriter in Arte exercitatus facile novit

Tantum.

)o(



CVr, WISLERE, meos plausus, qvid carmina poscis?
Dum Te promeritus concomitatur honos.
Non eget hoc fuco virtus, quæ sola refulget,
Ast etiam gnatos ornat & illa suos.

gratulabundus hæc scribebam

JO. VVILHELMVS ENGELBRECHT D.
Ordinis JCtorum Senior, & Acad. Juliæ h. t. Vice-Rector.

QUod *natura* parit, polit *ars*, & perficit *usus*:
Sic quivis nostrum dicere saepe solet.
Ingenii dotes TIBI non *natura* negavit,
Has vero *ars* auxit sedulitate tua.
Quid dicam de *usu*? Te fecit in arte magistrum.
Garlia quid? *spartam*: Julia? *serta* dabit.

IO. ANDR. SCHMIDT D. PP.
ordinis theol. Senior & Abbas Mariævallensis.

EXcutis *infantum* morbum Rhachitida dictum
Ut quondam possint Te celebrare *senes*.
Ito bonis avibus, *pueris senibusque* medetor
Vt volitare queas multa per ora *virum*.

grat. scr.

A. J. BöTTICHER Dr.
Archiat. Guelph.

PRÆSES

CANDIDATO

S. P. D.

QVoniam Poëtis non ſemper fides tuto adhibetur, malo loco gratulatorii Carminis ſolutis verbis teſtari non parum nos lætatos eſſe, quando inter colloquia ſolennia audivimus; Te per Collegia hic diligenter a Te frequentata non mediocres in Arte feciſſe profectus. Fieri non poteſt quin talem ſolertiam ſuus ſequatur, maneatque honos. Quem lubentiſſimo animo conferemus.

IUſtitiam medicus plus præſtat conſule juſto:
Conſervat, reddit, juraque jure juvat.
Tu Medicas leges calles, dictare paratus
Quod juris, miſcens dulcia, largus aquis.

Doctori Medico WISELERO

gr. ſcrib.

HERM. von der Hardt/
Decanus.

INgenii qua vi ſtudio quantoque vacaris
Arti Tu medicæ, ſcriptio docta probat.
Gratulor eximiis conatibus, & rogo, ſummum
Numen fortunam provehat usque Tuam.

RVD. CHRIST. WAGNER
phil. & medic. D. mathem. & natural. prof. ordin.

Scis

SCis, quænam in terris sint pessima & optima? dicam:
Nil pejus Medicis, est meliusque nihil.
Est etenim vilis Medicorum turba malorum,
Quod vespillo facit, qui faciunt Medici.
Sunt contra soliti morborum inquirere causam,
Quæ facile optatam cognita monstrat opem.
Est igitur Medicus sic pessimus: optimus idem;
Sic pejus Medico est, est meliusque nihil.
Optimus es Medicus, *WIESLERE colende*, quod ipsum
Comprobat exemplo Julia Clara Tuo.
Nam dudum vario es calidoque exercitus usu,
Conjungens praxi docta reperta Sophum.
Ergo promeritos merito Galenus honores
Promtus concedit, Fautor amande, Tibi.
Gratulor huncce Tibi lætus, *nove Doctor*, honorem,
Addat huic alios mox bona fama *gradus*.

Sinceri affectus testandi causa
deproperabat

JOH. RVD. NOLTENIVS
Sch. Gard. Rector.

MYn *Heer*, ghy schryft en spreeckt met wel geleerde gronden,
Ghy bent om Uwe Kunst vermaert, oock wys bevonden;
Ghy thoont daervan de Vrught in onsen *Elm. Atheen*,
De swarte Nyt, die swyght en komt noyt op het Been:
Die laet schier nimmer af van tegens Eer te rasen
En komt haer vuyle Gift op haer geduerigh blasen
Maer t'is een nutter ding, wanneer het God behaeght
Van dees en die benyt als over al beklaeght.

Ick

Ick wenſſ' U veel Geluck, Ghy meriteert die Eeren
Van een *Doctoor* te zyn, door Uw' begeeſte Leeren,
Ghy hebt van allen Gunſt, *Gard'legen* U bemint
De Eer volght op de Deucht! U raeckt geen quade Wint.

U. Ed.

Ootmoedige en gehoors: Dienaer

I. C. STIESSER.
Vorſtel. Br. Lun. tot Helmſtedt beſt.
Ontfanger van de acciſen.

DAt Galenus opes, tribuitque Machaon honores:
Illas exopto; hos grator, Amice, TIBI.

Ita ſummos in arte Medica honores gratulatur

BARTHOLD. VINCENT. STIESSER, LL. Cult.
Opponens.

COntra vim mortis dicunt non eſſe medelam,
Ut medica pelli dexteritate queat;
Arte tamen medica tu noſti pellere mortem;
Nam Tuis in terris non morietur honos.

Ita Nobil. & Clariſſimo Dno. Doctori WISELERO, Amico & Contubernali meo quondam exoptato congratulari voluit ac debuit. In Alma Julia patria ſua

LVDOVICVS ERNESTVS SCHVLZE Med. St.
Opponens.

